

1521

quod hæresum pestis ; quæ illos teterrimo veneno infecerat ;
Luthero majores , & acriores spiritus fumente , Pontificiæque
auctoritati acerbius adversante , ingentia incrementa sumptura,
ac libere debacchatura videretur ; potentiam quinimmo , vires-
que Turcarum communium hostium augeri , qui Gazelle nu-
per devicto , nihil non sibi adversus Pannonias , Italiam , at-
que adeo universam Rempublicam Christianam superbe polli-
ceantur ; ac , si semel bellum in hanc provinciam irruerit ,
quis non tristitia omnia ominetur ? Dum ferrum , quo adver-
sus barbaras gentes pugnandum , illarumque sanguine inficien-
dum foret , in nostra viscera propria dextera convertatur ? Hæc
cum Pontifice agebantur. Joanni Baduario Oratori apud Gal-
liarum Regem in mandatis datum : de iis , quæ in Italia geran-
tur , Regem , ac Magnum Cancellarium certiores faciat ; con-
stanter polliceatur , si de tuenda Italia agatur , cum Rege Rem-
publicam in arma ituram , totis viribus adversus Cæsarem ,
omnesque alios certaturam ; contra valde periculosum cense-
re , Cæsarem hoc rerum statu ad bellum laceffitum urgere .

*Mandata
ad Badua-
rium Orato-
rem in Gal-
lia .*

Nullum interea officii genus , quo Venetos sibi adjungeret ,
a Carolo prætermittebatur , magnum in Reipublicæ potentia ,
ac viribus momentum ad res feliciter gerendas fore ratus :
pollicita adjiciebantur ; quodcunque in Venetorum urbibus ,
atque agris imperio jus esset , id ultro novis titulis concessu-
rum . Ea Patres , qui & temporis longinquitati , qua huma-
na imperia , non secus ac reliqua mortalia , vicissitudinibus
subjiciuntur , & gentium legibus , belloque , ac justis armis ni-
terentur , nihili ducere , neque semel Gallo præstitam fidem
fallendam existimare . Decretam Cæsari non modo pro Impe-
rii dignitate adepta legationem , verum etiam Franciscum Con-
tarenum , Gasparis Contareni loco ordinarium Legatum desi-
gnatum , ne ullam Galliarum Regis animo suspicionem inji-
cerent , cunctari jusserunt . Inde Carolus Venetorum amicit-
iæ , ac foederis spe dejectus , Philibertum Legatum in Gal-
liam mittit , qui de pace cum Francisco ageret , ut Regum
conjunctionis metu perterritos , funesta adhuc præteritarum
cladium memoria animis hærente , ad se attraheret . Cum Hen-
rico Angliæ Rege conqueritur , Venetos , neque pacta cum
Maximiliano servasse , neque oblatam pacem amplecti velle .
Quibus in speciem agitis , eo minor a Regibus fides habe-

*Franciscus
Contarenus
Orator ad
Cæsarem .*

ba-